



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Ex vteri dolore à prægnantibus conijci posse de dolore partûs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

se se debeant ad instans periculum, præparare. Cùm enim nesciant, num viæ atque incolumes, è puerperio, sint emerfuræ, cur audent periculo se committere, ad moriendum imparatæ? Paraphrastes Hierosolymitanus & Hebræi, illud de Rebecca, *Perrexit, ut consuleret Dominum, vertunt: ahyt, ut peteret misericordiam, in domo, ubi concionabatur Sem.* Quia Sem filius Noë etiamnum erat superstes: quippe cùm mortuus sit, quando Jacob annum quinquagesimum agebat. Et putant Hebræi, Melchisedec fuisse Sem. Huius igitur Rebeccæ exemplo, prouidè prægnantes sapius ad eunt templum, *ut petant misericordiam, & felicem successum in partione consequantur.* Quo fine & sacrificia offerri, & Sanctos in vota vocari meritò volunt; quin & dona offerunt, aut suspendunt, ad aras Diuorum. Multum efficiunt, si feminas ad diuinos honores trahunt vteri dolores. Non igitur dolentes mirari debent, aut, ob quameunque molestiam, dicere: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25. 22.

Nocturæ atque vespertiones, si auroræ lucem ferre oculis non possunt, quo modo ferent solem meridianum? Feles, quæ pluuiam fugiunt, ne madefiant, quid sentient in amnem lapsæ? Tu quoque, mulier, quam, ob exiguos vteri dolores, pœnitent concepisse, quid dictura es, cùm ad partus tui perueneris cruciatus? cùm puerperij te sordes torquebunt? cùm biduo, tri-duouè jacebis & eniti non poteris? cùm proli vitam ac lucem dans, senties tibi oculos tenebrari, & vitam incidi? Nam & ipsa, *cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus, periclitari cœpit. Dixitq; ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium.* Egre-diente autem anima, præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui *Benoni, id est, Filius doloris mei. Mortua est ergo Rachel.* Eodem genere mortis aliæ plurimæ perierunt, & quotidie ferè, hinc inde, perire audiuntur: quæ non tantùm filios suos, *Benoni,* seu filios doloris possunt nominare, sed etiam dicere: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* præsertim, cùm dolores parturientium sint maximi, tales enim si indicandi sunt, aiunt diuinæ litteræ: *ibi dolores, ut parturien-* IV. Gen. 18. 17. Psal. 47. 8.

Deut. 2. 25.

Eccli. 48. 21.

v.

Gen. 3. 16.

Ioan. 16. 21.

2. Machab. 7.
27.

Gen. 29. 18.

Item: *in morem parturientium contremiscant, & dolore videntur.* Et: *doluerunt, quasi parturientes mulieres.*

Multa hic possunt responderi. 1. Homini esse eum ceteris animalibus, in pariendo, conditionem parem. Si ergo reliqua animalia, cum dolore, enituntur, quæ nunquam peccauerunt; quid mirum est, si mulier sentit, cum parit, cuius poenam dictum est, *In dolore paries filios?* 2. Ut post morbum, gratior est sanitas; post noctem, dies iucundior; serenitas commendatior, post tempestatem; ita, post dolorem partus, proles longè maiorem affert voluptatem. Hoc Christus indicavit. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Gratiora nobis esse solent, quæ magno labore constiterunt. 3. Quin & liberi tanto magis aestimare ac venerari debent matres suas, quanto sciunt se maiore ab illis labore & cruciatu in utero gestatos, atque in lucem editos. Hanc amoris causam filio suo in memoriam renouavit fortissima illa matrum, cum ad tormenta eum fortiter subeunda animaret. Ita enim inquebat: *Fili mi, misere mei, quæ te in utero nouem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in aetatem istam perduxi.* 4. Veterum opinio fuit, felices fore proles, quæ matre moriente in lucem prodijissent. Nam etsi viperarum esse dicant, matre enecta, nasci; tamen in hominibus putabant id roboris esse, & futuræ signum magnitudinis, ut in filio compensetur, quod in matre amittitur. Talis prodijt Scipio Africanus; talis Julius Cæsar, Cæsarum primus, quem alij quidem à cæsarie, alij verò à cæso matris utero Cæsarem volunt esse nuncupatum. Ego certè magnum, hac ætate, heroem noui, qui non natus est, nisi matre lacerata. Atque ut alia exempla omittam, hunc ipsum, de quo egimus *Benoni*, quem mater Rachel *filium* vocauit *doloris*, Iacob pater appellauit *Beniamin*, id est, *filius dextera*; idque post mortem matris: ut non solum ostenderet, se æquo animo illam ferre, sed etiam filios ad idem excitaret, hac spe & nomine, quod futurus esset *Beniamin*, id est, *filius dextera*, quod apud Hebræos nō tantum significat *charissimum*, & ad dexteram suam collocandum;